



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Via secundæ diei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

cas, ubi Dominus loquitur ad cor dilectæ suæ: unde verba Domini ad electam sunt tribulationes & gravamina cordis, &c.

§. 2.

Via secunda diei.

Secunda dies ejusdem solitudinis, sita est in ea desolatione quam patitur anima, in defectione & desertione amicorum, eorum præsertim, à quibus spiritali aliqua necessitudine conjunctis, opem solatiūmq; in rebus dubijs, & internis animi cruciamentis expectare debuerat: quæ desolatione, ipsis præsertim conversionis initijs, nescio an anime quærenti Deum obvenire quidquam possit acerbius. Itaque subinde usu venire videmus, ut qui ad cætera tela sine lenia sint, qui bonorum direptione dolores corporis, aut quantumlibet austeram vivendi disciplinam pro nihilo ducant; hæc demum sentiant & ferant impatientius, si vel desit, ad quod de animi sui rebus liberè ac tutò referant, vel auferri contingat, cui jam suam conscientiam commiserint, vel eam denique, non pro eo ac vellent, aut res ipsa exposcere videretur, sibi studere existiment.

Quo quidem genere experimenti Sanctas Teresiam, Catharinam Senensem ac Genuensem, Lydvinam, aliarumque Christi sponsas, non mediocriter exercitas ac probatas legitimus; ut in spiritualibus necessitatibus desererentur à conscientia suæ Directoribus, atque ab iisdem vel incerto spiritu duci, vel etiam ab Angelo tenebrarum manifestè decipi crederentur: divinam nimirum Providentiã eas sensim docente in interiora solitudinis, ut ab uno Deo denique perdere condiscerent, atque ablatari ab omni etiam spiritali solatio, quod ab homine posset expectari.

Ad hoc igitur & tu experimentū te compara; & altera jam die, intra in desertum cordis Christi: qui (ut hunc etiam desolationis modum experiretur) ab uno discipulorum de-

micorum suorum sceleratè venditus, ab altero impiè negatus, ab reliquis turpiter atque probrosè derelictus, vix ad extremum dulcissimæ suæ Matris præsentia, aliorumq; paucorum, recreatus est. Si tamen recreatum hoc aspectu, & non potiùs oppressum censebimus: cum ea fuerit in Filio ac Matre studiorum affectuùmq; consensio, ea de corde in cor, tanquam in maris æstu, dolorum cruciatuùmve repercussio ac reciprocatio; ut non tam ad solatium suum, quàm ad majus amborum tormentum, eam voluerit juxta crucem assistere, & sibi adesse inter tot opprobria morienti. *Revera enim tunc, ô bone JESU (quæ Joannis Thauleri verba sunt) ex afflictione materni pectoris, novam crucem in te recepisti. Solus namque pondus & gravitatem dolorum ejus, hominibus universis incomprehensibilem, compassionis lance trutinasti. Et id quidem maximè exaggeravit cruciatus passionis tuæ, quòd non modò in corpore tuo, sed etiam in materno pectore crucifixus eras: quando & illius crux tua erat, & tua vicissim illius.*

Explic: pass: c. 17.

§. 3.

Ejusdem sanctæ solitudinis dies tertia.

Tertia dies mysticæ solitudinis est, non jam à creaturis tantùm, sed etiam ab ipso DEO derelinqui; hoc est, privari omni interno gustu ac sensu spirituali, immo è diverso occupari tenebris & ariditate cordis: atq; interim in mentis apice, consuetà pace ac tranquillitate potiri; quin potiùs hanc ipsam sui desertionem amare, ex puro desiderio perfectæ conformitatis, sive cum divina voluntate, quam homo præferat cuicumque suo solatio, sive cum mœstissimo corde Christi, in summa siccitate & angustia inter crucis brachia derelicti.

Atque hoc demum est, quod quondam Moyses, minare gregem ad interiora deserti; hoc, intima cordis Christi penetrare: qui jam jam spiritum emissurus, super hac sui

Exod: 3.

Q 9 9

extre-